




4955

CIMELIA

MARTINI
S I S C O V I I
CANONICI CRACOVIENSIS,
Illustrissimi Petri Miscouij, Episcopi
Cracouiensis, Cancellarij,

*Pro Religiosissimis SOCIETATIS IESU
PATRIBVS, contra ficti equitis
Poloni actionem primam*

Oratio.



*Inscriptus Catalogo Congreg.
Cracouien. B. M. V. B. Sumptib.
1636.*

CRACOVIÆ,
In Officina Lazari, Anno domini,
1590.

Cim. Qu. 4955

AD ILLVSTRISSIMVM
 & Reuerendissimum
 PETRVM MISCOVIVM
 EPISCOPVM CRACOVIE:

Præfatio.



Egisti, vt vidi, Patrone benignissime, non sine stomacho, Equitis Poloni in Iesuitas actionem: legas & hanc meam, pro tua in Patres Societatis Iesu, & in me perpetua constantique beneuolentia, cuiusmodi illa sit, orationem; si orationis nomine id vocari potest, quod maximis in occupationibus, aliquot dierum spatio, tenuiori dicendi genere, comparatum est. Quam vt grato benignoq̄, animo, suscipias: etiam atque etiam vehementer rogo. Sic enim me, tum ad laudationem Patrum Socie-

tatis Iesu grauiori limatioriꝫ; stylo scri-
 bi cæptam: tum ad cōscribenda typisꝫ;
 mandanda nonnullorum Illustrium bel-
 lo, togaꝫue Polonorum, immortalitate
 dignissima facta: tum ad alia elegantio-
 ra scripta, quæ domi ob angustiam tem-
 poris præmuntur edenda, tua hac vel in
 primis benigni animi significæione, ex-
 citabis. Vale diu felix, & viue Ecclesiæ
 Dei, Reipub: tuis, tuæque immortali
 gloriæ: Viue etiam & tuo Siscouio.

Pro

Pro Religiosissimis
SOCIETATIS IESV PATRIBVS,
contra ficti Equitis Actionem Primam,
O R A T I O.



Nimaduerto Sigismunde REX, Amplissimiq. Senatores, minimè esse necessarium, vt in hoc conspectu vestro multò iucundissimo, loco ad agendū amplissimo, ad dicendum ornatissimo: pro religiosissimis Societatis Iesu Patribus, aduersus nescio cuius, sine nomine, sine pudore, sine Deo, accusatoris calumnias dicturus: causam susceptæ defensionis multis aperiã. Beneficiorum enim eam vim & naturam esse, vt à quibus ea acceperimus, ijs nos, nostraque omnia debeamus, nemo est, qui vel ipsa natura duce non cognoscat. Præclare illud,

quemadmodum multa alia à summo Peripateticorum Principe dictum est: Dijs, parentibus, præceptoribusque parem gratiam referri, nunquam posse. Et cum ab ipsa penè pueritia eæ fuerint vitæ meæ rationes: vt istius ordinis hominibus, non minus rectè viuendi præceptoribus, quàm dicendi magistris vterer; profectò si qua est in me, aut in Deum religio, aut in patriam pietas, aut in benè merentes grata animi beneuolentia, aut si quid ingenij, si qua dicendi exercitatio; earum rerum omnium vel in primis Patres isti religiosissimi, fructum à me repetere propè suo iure debent. Ac contulissent illi nullum vnquam in me beneficium, nullo me sibi priuatim deuinxissent officio, nullam mihi beneuolentiæ significationem declarassent; tamen ob singularia illorū cum in vniuersam christianam, tum in nostram quoq; Rempub: merita, contra quæuis aduersariorum tela atque impetum, defendendos ess: iudicarem. Nullus enim est in Re-

pub: ciuis, ad quem non aliquid vtilitatis ex bono communi deriuetur. Nec mirum cuiquam videri debet, quòd ego potissimum, me Iesuitarum calumniatori opposuerim, & primus cum eo aperto Marte atque nomine in certamen descenderim; cuius fortasse neque ingenium, neque ea est dicendi exercitatio, vt possim cum multorum, qui è Societatis Iesu Gymnasijs prodierunt, eruditione atque doctrina comparari. Cum enim primus ferè ex omnibus in eam tenebricosi istius Equitis procacissimam declamationē, quam ille primam in Iesuitas Actionem appellauit, incidissem; officij mei esse arbitratus sum, vt primus omnium istius maleuoli obtrectiones prosternerem & obtererem, tamq; insignem iniuriam vindicarem. Non deerunt spero alij disertissimi iuuenes, viriq; doctissimi, qui certatim accurrent; vt hostis audaciam comprimant, furoremq; propulsent. Non cessabo & ego, nactus aliquantulum otij, grauiori politiori q; orationis stylo ad-

lo aduersarium inceslere. Enimuerò, si rem ipsam acri & attento animo quis intueatur; nullo negotio perspiciet, non Iesuitas tantum solos, petulanti malè sani hominis oratione oppugnari; sed vestrum omnium salutis mentisq; publicæ Principum, Reipub: custodum & propugnatorum, imò Religionis ipsius Catholicæ iugulum peti. Iesuitæ quidem, ab isto homine pernicioso, homines perniciosi, ac in visceribus Reipub: ad interitum Patriæ conseruari dicuntur: sed quis non videt, te Sigismunde Rex, vosq; omnes Reipub: conseruatores, eo ipso perniciosos iudicari; qui perniciem istam Reipub: non solum non aduertitis, non solum toleratis; verumetiam amplectimini, fouetis, beneficijs augetis? Quod cum ita sit: communis certè causa est: communibus defendi poscit auxilijs. Et quanquam in confesso sit, veritatis tantam esse vim, vt licèt deprimatur, erumpat tamen: quamuis obscuretur, elucescat nihilominus: mendacia quoque ipsa
sponte

sponte sua facilè ruere, ita vt ne subuereri quidem oporteat, aut aduersarij Iesuitarum, imò vestrū omnium calumniatoris conatibus, luci clarissimæ tenebras offusum iri: aut orationis ipsius vanitati, apud cordatos prudentesq; viros, loci aliquid superfuturū: quia tamen Societatis Iesu rationes non omnibus ita notæ sunt, atque perspectæ, quin tot tamq; grauibus calumnijs, quibus eius nomini maculam impostor iste contendit aspergere, animi aut externorum, aut etiam aliquorum ciuium nostrorum, in aduersarij sententiam inclinētur; aperiendę sunt illius fraudes, & machinationes, reprimendus furor, retundenda maleuolentia, audacia coercēda, calumniæ refutandæ. Vt verò in dicēdo via teneatur, dicā primò de causa ipsa, & aduersario: tum eos homines, quorum ille autoritate ad suum cōtumeliosum propositum confirmandum abutitur; à causa Iesuitarum stare demonstrabo: ad extremum præcipua calumniæ firmamenta, tua Sigis-

munde Rex, Amplissimiq; Senatores fretus
 beneuolentia conuellā & remouebo. Age
 igitur in ipso pugnae initio, libet ex acerbo
 isto Iesuitarum accusatore, & Reipub: vt vi-
 deri vult, perquam studioso Equite, sciscita-
 ri, Cur lateat? cur nomen suum reticeat?
 cur, si tam euidēs est Iesuitarum crimen, non
 agat aperte? si tam manifestum est vt arbi-
 tratur, hanc vnā Monachorum familiam
 ad perniciem multarum Rerumpub: esse in-
 stitutam; cur non deposita larua, palām in
 aciem progreditur? Animaduertit scilicet in-
 sanus iste, odio excæcatus homuncio, tam
 perspicuam esse suam calumniam, vt eam si-
 ne pudore ingenti coram bonis ciuibus ne
 effutire quidem ausit. Itaq; suppresso no-
 mine, chartæ totum cōmittit negotium: at-
 que vt tantò sit ab omni suspitione & vere-
 cundia remotior; officinam quoque Typo-
 graphicam tacet. Quod ipsius factum, ac-
 curatius qui consideret: cogitare quidem
 aliud nihil potest, quām hominem causę suę
 diffidere;

diffidere, & eam calumniarum vim, ab impotenti ac sibi pessimè conscio animo profectam esse. Id verò mirari quisquam desistet: cum bonus hic accusator affirmet, se neque ea ætate esse, neque ingenio, neq; auctoritate, vt possit cum vestra sedentium grauitate, doctrina, rerumq; gestarum gloria comparari; quid igitur mirum, si quod ille Regum sapientissimus Salomon ait, colligata est in corde istius procacis pueri (virga disciplinæ fuganda) stultitia? Cæterum, minor fortasse culpa eius censi debet, quòd ista dicendi, id est calumniandi necessitas, ab illis ei sit imposta viris, quorum singularem amorem, beneficia maxima ipse agnoscit, & quorū dignitas summa ab omnibus perspicitur. Qui verò sunt isti summa dignitate præditi viri, qui stulto huic adolescenti, tanti criminis autores extiterunt? quĩnam ei hanc calumniandi innocentes prouintiam imposuerunt? Profecto tales Senatores, aut tam fictos Equites, non protulit hæctenus nostra

Polonia, quales iste fictus Eques & alios, & seipsum quoque commentus est. Porro, siue ille vir, siue puer, siue sponte sua, siue ab alijs impulsus, tantum facinus aggressus sit; clarissimè testatus est, se parum admodum, aut omninò nihil timoris Diuini, qui initium sapientiæ est, habere: proximorum famæ atque existimationi minimè cõsulere: ac proinde conscientiam suam grauissimo scelere alligare. **EQUITEM** se Polonum & quidem Catholicum esse affirmat: Romanam Ecclesiam, & spiritualement ordinem, plurimi se fecisse semper asserit. Egónè adducar, vt credam, Equitem eum esse Polonum, qui tot mendaciorum autor est? Equites certè Poloni, angue peius, vt dicitur, mendacia fugiunt & detestantur: quin etiam summam sibi afferri iniuriam, armis ferroq; vindicandam, arbitrantur, si quem eorum mendacij non dico apertè notes, sed vel leuissimè significes. Deinde, quid est tam ab Equite Polono alienum, quàm ex latebris quempiam allatrare?

allatrare? famam alterius ex insidijs rodere? Abiecti atque humilis esse animi censet, hostem ex occulto laceffere. Amat lucem Polonus Eques: aprico campo, vt scilicet suo nomini respondeat, oblectatur. Aduersarius ergo cum caligine gaudeat, & tenebras amet; tenebrionem se, non Polonum Equitem esse palam, profitetur: aut si equitem, eum certe, qui aut in arundine longa equitare assueuerit, aut equos in stabulo tractare didicerit. Catholicum verò & Romanæ Ecclesiæ studiosum, quis dicat hunc tenebrionem? hic Hereticos, & Catholicæ fidei iuratos hostes laudat, eorumque causam agit: hic Fricij ab Ecclesia damnati, & pestilentis autoris volumina prædicat: hic disputationis Lublinensis palmam victoriæ tribuit Ebionitis; qui tamen Deo Duce, teste vniuersa penè Polonia, ita tunc à Catholicis Doctoribus victi fusi que sunt; vt eorum Antesignanus Cechouicius (cum id ipse prius, vt veritatem oppugnaturu eueniret, à Deo supplex preca-

tus esset) obmutuerit: & ita obmutuerit, vt
 progredi vltra, ac tetras suas in Christum &
 eius vicarium Pontificem Romanum voces,
 amplius se iacere non posse, spontè & palàm
 viris Illustribus, & ipso Tencinio, Palatino
 Cracouiensi, Senatore optimo fuerit testa-
 tus. Porrò Catholicæ an Hæreticæ illæ sunt
 voces? Aduersarios religionis Catholicæ
 non oppugnādos: Disputatione publica &
 Concilio (quasi nullum hæctenus fuisset)
 omnem de religione controuersiam esse de-
 cidendam: Nobiles viros, qui sua nomina
 in ordinem Monachorum referunt; perpe-
 tuam familijs suis ignominiaē notam inure-
 re: cū malunt inter Monachos, quàm in-
 ter Patricios nobiles viuere. Omnes Iesuita-
 rum lucubrationes, ita ab Hæreticis esse re-
 futatas; vt luculentam tota Romana Eccle-
 sia plagam acceperit. Quas verò tu Iesuita-
 rum lucubrationes ab Hæreticis, cum tam
 luculēta Ecclesiæ plaga cōfutatas ais? Num
 quæ à Doctissimo Wuieco lingua patria e-
 uulgataē

uulgatæ sunt contiones? num cum Iacobo Niemoieuiu concertationes? num alias ob commune bonum Ecclesiæ maximo cum emolumento vigiliis? Nouem integros & amplius annos, Calviniani nostri laborârunt, antequam illi arieti, quo Hæreticorum vires conuulsæ ac prostratæ sunt, Postillam quandam opponerent. Quid verò proferunt? Deceperunt, vtar enim verbis per Prophetam loquentis Dei, populum meum, dicentes: Pax, & non est pax: & ipse ædificabat parietem, illi autem linebant eum luto absque paleis. Quid igitur? Dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quòd casurus sit. Niemoieuius certè ita confutatus est, vt summo cum dedecore, & lingua, homini alioquin natura loquacissimo, obmutuerit, & manus in perpetuum obtorpuerit. Sed enim de Petro Scarga, Volanus Archiminister Lithuanicus, de Arturo Fauteo, Saedel pastor Lausanensis triumphauit? Imò verò summam ignominiam ex acie reportârunt;

runt: Obtulit Sadeel, qui ad illos tres de Christi in terris Ecclesia insignes planè, quos contra eum Arturus scripserat libros, ne verbum quidem respondit. Volanus, cum Scarga, summo Theologo & Oratore, cum Andrea Iurgeuicio Vilnensi Canonico, ac Iesuitarum disciplinæ alumno, pugnavit ille quidem, & nunc etiam pugnat: scribit infans senex, sed vano labore consumitur: contendit verborum armis, conuiciorum telis; sed tam infeliciter, quàm infelicem causam tuetur. Verborum & calumniarum plaustra si spectes; fatis multa reperias: at veritatis, aut solidæ confutationis, ne micam in isto sene deprehendas. In Emanuelem Vegam, Vilnens: Academiae non ita multos ante annos Professore Theologum, ne calamum quidem stringere est ausus. Sed obiecit homini acutissimo, Niemoieuiumné, an nescio quem alium stupidum & bardum Photinianum, qui lingua nostra vernacula, homini Hispano, ne verbum quidem Po-

dem Polonicum calenti respondit. Quàm autem solide: docti animaduertunt. Illud certissimum est, quòd cùm arrogantissimè in libelli sui inscriptione iactâset, se purissimi verbi Dei armis Papisticum de Eucharistia figmentum funditùs euersurum, ne vnicam quidem ex verbo Dei attulit sententiam. Sed quid ego ista tecum disputo, qui neque ea ætate, neque ingenio, neq; doctrina sis; vt de hominum doctissimorum concertationibus possis iudicare? Tritum est illud: Ne Sutor vltra crepidam. Quamobrè consilium sequere meum: perge, vt capisti exercere te in progymnasmatibus Aphantinij, in quibus iam nonnihil videris profecisse: Tropos, & lumina orationis, diligenter considera: versa oratorum comprehensiones eorumque numeros metire: stylum, qui optimus dicendi effector & magister est, quoties exercere voles, argumentum viribus tuis par, & quod deceat, delige: puerum te, aut certè adolescentulum esse memoria

C

repete:

repete: & neque ea ætate, neque ingenio, neque autoritate; vt de rebus magnis, grauibus, arduis, cuiusmodi sunt, de Deo, de religione, de Repub: de Ecclesiæ ordinibus, de quæ bonorum fama, possis dicere: quæ tu doctis grauibusque viris relinque tractanda. Quis enim non videt, quàm non solum impiè, sed etiam indecorè, tu ea etate, eaque ingenij imbecillitate adolescentulus in senatu, in consilio publico, viros Religiosos Iesuitas, cum quibus, vt ais, honestissimi atq; ornatissimi homines Ecclesiastici ordinis summa amicitia, & necessitudine coniuncti sunt, accusare, & summi criminis eos agere impudenter non es veritus? Insignis audaciæ tuæ, vel potius impudentiæ est hoc argumentum: puerum te non sensu, quod diuinus ait Apostolus, sed malicia esse prodidisti: deprehensum est tuum magnum & impudens mendacium. Cum enim dicas te, & Ecclesiam Romanam, & ordinem spiritua- lem magni semper fecisse; in Iesuitarum ecclesiasticum

clesiasticū ordinem ab ecclesia vniuersa approbatum, amēs incurris, eos criminaris, ad eorūq; odiū omnes regni ordines reuocas.

Quanquam suspectum est mihi tuum illud, *semper magni feci*. Fecisti ergo aliquādo: nunc autem & Ecclesiæ ipsius, & omnium ordinum spiritualium, ingenti infelix odio flagras. Sed quid mirū? cum relicta vera Ecclesiæ doctrina, quam apud Nobilem Academiam Cracouien: à teneris imbibisti, ad putidissimas Christi diuinitatem negantium lacunas te contuleris, apudque eos, dum putidus pædagogus Grammaticā doceres, in Verrinis interim actionibus, & Philippicarum maledicentiis, stylum tuum exerceas. Hóccine est esse Polonum Equitem?

At verò, quid tandem tibi, homo leuissimè in mentem venit, eum ordinem, qui à Iesu Salvatore nomen habet, & suam ecclesiæ Dei operam studiumque nauat, atque ipsam pro virili parte deffendit, accusare? Nimirum asseris, *hanc vnā Monachorum*

*familiam, ad perniciem multarum Rerum-
pub: esse institutam.* Per iocumné agis, an fe-
rio? serio quidem vt apparet. Verumenim-
vero, tu in tua ista tam graui propositione,
& insignem ignorantiam, & summam ne-
quitiam celare non potuisti. Ignorantiæ est
Iesuitas Monachos dicere: nequitie eisdem
perniciem Reipub: appellare. Sed videamus,
quàm verè ista à te affirmantur: Socie-
tatem Iesu Monachorum familiam appel-
las. quo nomine inprimis tu per contume-
liam, velut probro quodam, non minus om-
nes Religiosorum ordines, quàm Socie-
tatem notas ac perstringis. Tibi enim tuiq;
similibus fidei desertoribus, probum est
Monachum esse; sed, mihi crede, in isto tuo
maledicto, probum non modò religiosis
viris nullum obiectas; sed etiam laudem e-
orum illustras. Deinde, vel hac appella-
tione tuam insignem ignorationem ostendisti.
Ordo enim istorum hominum, non Mona-
chorum, sed Religio clericorum Societatis

Iesu

Iesu est, & ita à Concilio Tridentino nuncupatur. proinde, neque domicilia illi sua, vt tu afferis Monasteria; sed domos & Collegia (vbi præsertim iuuentus excolitur) appellant. Atqui hoc est, inquis, quod ego asseuero: *Iesuitas omnibus se Monachis anteferre.* Atqui hoc est, quod ego rursus contendo: te & mentiri turpissimè: & eiusmodi consequens ineptissimè colligere. Nunquid, quia tu neq; Palatinus es, neque Rex, sed nescio quis de grege Lurconum, omnibus Palatinis & Regibus te anteponis? omnes præ te contemnis? Societatis quidem homines quanquam Monachi nō sint; monachorum tamen institutum honestissimū, non vt tu ignominiosum, sanctissimumque esse credunt, sentiunt, tuentur. Quomodo verò se ista Societas Iesu omnibus Monachis anteposit; cum se & omnium vltimò ad Domini vineam excolendam vocatam agnoscat, & minimam fateatur? cum in singulis Religiosorum hominum familiis, tan-

tam & sanctissimorum & doctissimorum virorum copiam suspiciat & prædicet? Hęc tu quidem ad inuidiam odiumque apud viros integerrimos conciliandum Iesuitis impudenter agis: sed non sunt Religiosi viri tam leues, vt id tibi mentienti credant Hæretico: tam à spiritu Christi alieni, vt te auctore, quiduis in partem malam accipiant: tam peruersi, vt te suafore id de ea Societate suspicentur; à qua se diligi, coli, obseruarique vident: tam denique stupidi, vt quid tu istis machinationibus tuis moliaris, non animaduertant. Si monachi se à Iesuitis (vt tu calumniaris) contemni arbitrentur, nunquam in suis Generalibus Comitibus mutuò se ad eos amandos cohortarentur: nunquam ipsorum antesignani id publicis literis palam testarentur: nunquam in bonorum suorum spiritualium communionem eosdem admitterent. At certe, vt quid de Societate hac minima sentiant, vt tibi tuique similibus odij dissensionumque fatori ac seminatori vi-

am ca-

am calumniandi præcluderent; id plerique ordines sponte sua cumulatissimè præstiterunt: quod tu, si voles, cum alibi, tum certè in vita Ignatij Loiolæ, qui liber in multorum manibus est, poteris videre. Et quidè magnum istud est impudentis & maliciosi animi tui documentum: sed illud longè maximum; cum familiam, quæ à Iesu saluatore nomen habet, ad perniciem multarum Rerumpub: esse institutam audacter asseueras. Enimverò maximi sceleris ista est criminatio: quæ, si vera esset, ego ipse Iesuitas omnes, non modò ex numero viuorum exturbandos; sed etiam infra omnes mortuos amandandos iudicarem. Quod enim aut fingi immanius flagitium, aut scelus cogitari potest detestabilius; quàm vnum quempiam nefariorum hominum coetum, non dico ad multorum, sed vel vnius Reipub: interitum conspirasse? At bone vir (puerum enim te ob summam tuam improbitatem sæpè obliuiscor) quis obsecro malus Geni-

us in eam te mentem impulit; vt tibi tam admirabile, tam cōtra opinionem omnium Paradoxon persuaderes? Quis spiritus oculos tuos ita reddidit perspicaces; vt quod nemo haectenus in Repub: nostra, vel solertissimus, non dico obseruauit, sed ne suspicatus quidem de Iesuitis est; tu solus animaduertas, videas, perspicias? Vos iste, sapientissimi Reges, Reipub: nostræ custodes, Sigismunde Auguste, & Stephane Batori, qui iam cum beatis æuo fruimini sempiterno, vos, inquam, iste tenebricosus eques temeritatis, incuriæ, & ignauia vestræ manifestè redarguit; qui intra viscera, florentissimi regni vestri tam pestilentes homines, aut libèter accepistis, & regni iure donastis, aut acceptos fouistis, promouistis, contra omnes aduersariorum impetus acerrimè defendistis. Tibi quoque non minus Sigismunde Rex, huius publici consilii moderator prudentissime, insultat malè sanus eques, quòd inde à tua pueritia ista monstra, istas Rerumpub;

rumpub: pestes, ita complexus es; vt ab eis nūquam diuelli volueris, tam in Suecia, genitrice altriceque tua, quàm in Polonia, que te summo affecit honore. Quasi verò tu, cuius cor in manu Dei est, qui singulares ac verè regias dotes diuinitus accepisti, vsque adeò obtuso sis ingenio; vt id, quod eques iste sagacissimus, non animaduertas? Sed neque vos tacitus præterit, Senatores vigilantissimi, qui cum sapientissimo Rege in hac Reipub: custodia, tanquam in specula collocati, ne quid detrimenti Resp: à Iesuitis capiat, minimè prouidetis. Vnus, nescio quis tenebricosus eques, ad pericula prospicienda sagacior omnibus vobis est: plus ille vno oculo, quàm omnes vos penè innumeris cernit: maiori, quàm vllus vestrùm, salutis patriæ studio tenetur. Sed enim non vanam esse ais homo vanissimè tuam criminationem. *In contionibus enim viri doctissimi nostri Theologi prædicant: Iesuitas eam pestem esse, quæ animaduerti non possit, an-*

fit, antequam totum Reipub: corpus inflammet. Quinam obsecro isti sunt Theologi? qui vocantur? cur eos non nominas? Nostri, inquis, Theologi; Facile crediderim vestros prædicantes, qui Christi domini diuinitati non parcunt, id plenis buccis crepare. Cæterum, quis istos aut Theologos iure dicat, qui omnes, si in mortario contundantur, Pseudologiæ quidem permultum, at veræ Theologiæ ne vncia quidem exprimetur? Aut quis illis credat, fidemque habeat, cum certissimum sit, & in ore istorum omnium prophetarum, spiritum esse mendacem, & eos Iesuitarum hostes esse capitales? Te quidē, homo leuissime, tuiq; similes, istis mendacibus magistris credere non dubito: quibus, ideo, quod charitatē, vt ait Apostolus, veritatis non recipitis vt salui fiatis, Mittit Deus operationem erroris, vt credatis mendacio. Isti ergo tui Pseudologi, si hæc, vt cætera mendacia in Pontifices, clerum, totamque Ecclesiam Catholicam, pro pul-

pitis

pitis iactant, quid mirum? Nemo enim his
quinquaginta annis Ecclesiæ Catholicæ ho-
stis fuit; qui non bellum eodē tempore So-
cietati Iesu quoque indixerit; qui eam per-
ditam extinctamque noluerit. Proinde ve-
stræ synagogæ, vestra ergastula, vestri an-
guli, his vocibus, & exclamationibus, non
autem primarium, quod tu sine argumento
fingis, templum Lublineñ: aut summū Cra-
couiense, pleni sunt atque referti. Hoc enim
de Catholicis Theologis auditum est nun-
quam: nunquam ad aures notitiamque bo-
norum peruenit. Et ut fuerit quispiam, qui
(ut sunt varia hominum studia) tam teme-
rarium & procax dictum effutiuisset; num
hoc esset, tuo isto putido conuitio templa
primaria, cathedrasque resonare? Cracoui-
ensem Episcopum, Petrum Miscouium, sum-
ma prudentia & iudicio virum, in idem cri-
men vocas: eius autoritate confirmas,
Iesuitarum familiam, ad Ecclesiæ Romanæ
dogmata euertenda, ad excitanda seditio-

num incendia, ad euertendos Reipub: nostræ bonos mores comparatum esse. Tuam verò ego hîc imprudentiam, vel quod verius est impudentiam, miror vehementer. Tu Antistiti grauiſſimo, Senatori prudentiſſimo, Ecclesiæ Romanæ & Reipub. amantiſſimo, hoc tam atrox crimen affingere non es veritus! non es veritus virum maximi iudicii, tantæ imprudentiæ & leuitatis insimulare! Te ego Petre Miskoui Antistes amplissime, quem in hoc ordine, in hoc publico consilio de salute publica laborantem velut alterum Cathonem video: te inquam appello: tuam fidem imploro: tuam confessionem exposco. Animaduerto te rei indignitate commoueri, & hoc, ipso vultu verecundo, iam indicare, quid sis pro tua dignitate, existimatione, atq; innocentia, isti calumniatori responsurus: quod honestissimis Iesu Societatis hominibus testimonium daturus. Quando enim ille te tam grauem in Iesuitas sententiam proferentem audiuit?

diuit? quo loco? quibus testibus? Non tu certè cum ganeonibus & decoctoribus in popinis, sed in luce Polonię, in oculis atque auribus omnium hominum versaris; & nihilominus istud de Iesuitis cōstanter & gra- uiter, quod eques noster fictus cōminisci- tur, voce & vultu ad rei indignitatem com- posito, affirmantem te, nemo bonus, præter istum tenebrionem audiuit: nemo tam fri- gidam tamq; ieiunam ausus est vnquam ti- bi affingere calumniam. Vident enim bo- ni omnes, quid tu de istis religiosis homini- bus, quos accusator in inuidiam atq; odiū vocat, semper iudicaueris, & nunc etiam sentias. Tu, cū adhuc Ploceñ: Ecclesię summa cum laude præesses, Iesuitarum con- uersatione apprimè delectatus es: Tu eos penes te semper habuisti: Tu eorum cōtio- nibus, tu scholasticis exercitationibus libē- tissimè interfuisti: Tu nunquam non fami- liarissimè pro tua humanitate illis es vsus: Tu charissimos nepotes tuos eorū discipli-

næ iam inde à pueritia erudiendos commi-
 sisti, qui tantum in scholis Iesuitarum pro-
 fecerunt, quantum iam ex eis fructum vti-
 litatis Ecclesia, & Respub: percipiunt: Tu
 denique me ipsum primò Pultouix, deinde
 verò Romæ, Sanctissimis Patribus Societa-
 tis Iesu, recoquendum & expoliendum, ho-
 nestissimisque artium disciplinis informan-
 dum dedisti: in quibus, etsi non multū for-
 tasse tibi profecisse videor; nunquam tamen
 te pœnitebit, me corū disciplinæ alumnum
 fuisse. Beneficia porro tua in hunc ordinem
 collata, quis est qui non videat? Vocatus à
 Deo, vt Cracouensem regeres Ecclesiã, Pul-
 touiã excedens, Iesuitis, Collegium ipsorum
 humanissimè ingressus, cum lachrymis vale-
 dixisti: tuam in eos beneuolentiam, vultu,
 oculis, oratione luculentissima, & munere
 prolixo declarasti. Nec verò, cum Pultouiã
 animum planè paternum erga Iesuitas reli-
 quisti: eundem enim te etiam Cracouiã
 experiuntur. Confectum, ac typis etiã man-
 datum

datum, paucos ante annos, ab Hæreticis in Germania fuerat, quatuor de Societate Iesu viros, flagitij nescio cuius, cōuictos, decreto Magistratus damnatos, supplicioq; Cracouiæ ad Nilum flumen affectos fuisse. Quod magnum & impudens mendacium, etsi nemo, qui Cracouiã, non Nilum, sed Vistulam alluere nouit, non animaduertit: cùm tamen Illustris: Elector Moguntinus rei grauitate & Hæreticorum insultatione permotus, in Poloniam de industria Nuncium misisset, qui huius rei testimonium ab optimo Stephano Rege peteret; tu, quòd ad te religiosorum hominum innocentiam, contra improborum calumnias tueri pertinere videres, grauissimũ pro veritate contra mendacium, summa cum Societatis laude, testimonium orbi dedisti vniuerso. Ac ne verbis tantum quæ intercidunt, aut chartis quæ in angulis sæpè latent, tuum in hanc Societatem studium contineretur, paucisque cognitum esset; sempiternum atque illustre tui
istius

istius animi argumentum esse voluisti; cum Iesuitis Cracouix Sacram Diuæ Barbaræ ædem, & non ita multò post, ad D. Stephani templum, domicilium Tyronibus Societatis percommodum nullius vel minima cum iniuria (vt aduersarius pro suo candore fingit) sed magna cum honoris diuini amplificatione, & Ecclesiæ fructu, assignasti, & attribuisti: Rex approbauit: Summus Pōtifex confirmauit. Hęc, si non videt calumniator iste, cæcus est: si non sentit, stipes est: si videt & sentit, ac nihilominus te virum prudentissimum, & optimè de Iesuitis meritum, tanti criminis insimulat; impudens certè est atque improbus. Quod cum ita sit, patrisné Antistes amplissime, hanc turpitudinis notam tuæ ad decrepitam vsq; ætatem honestissimè transactæ vitæ inuri? hac infamie macula aspersus, extremū diem claudes? hac vna labe purissimum spiritum tuum, ex istius corporis vinculis, quasi ex carcere, euolare sines? Tua certè hic Episcopalis &

lis & Senatoria fides, tua prudentia, tuum iudicium agitur: qui cum videres Iesuitas Romanæ Ecclesiæ, cuius tu quoq; moderaris vela, dogmata euertere, in Repub: nostra sediciones cõcitare, mores bonos exturbare; aut hæc non aduertisti, aut summo cum Ecclesiæ & Reipub: detrimẽto tacuisti. Hæc probra tibi audet affingere puer iste, fictus eques Polonus, nescio an ferenda. Iam verò Ioannis Zamoscij, summi viri, & quem verè patrem Patriæ, parentemque Reipub: Polonæ meritissimò appellare debemus, quàm infeliciter aduersarius autoritate vititur; quis quæso est, qui non facilè animaduertat? quis per Deum immortalem audiuit vnquam Zamoiscium dicentem, Iesuitas pestem esse ac perniciem Rerumpublicarũ? Probè nouit prudentissimus, ac tot victorijs triumphisque clarissimus Imperator, & vir egregiè Catholicus (cuius animi in Iesuitas optimè affecti, non obscura extant indicia) probè, inquã, nouit, societatem Iesu ad sum-

mam

mam Ecclesię Dei vtilitatem esse institutam,
 neque vnquam se aut negotijs secularibus,
 aut ciuilibus implicare, nisi quatenus aut
 Dei gloria, aut salus animarum, tam princi-
 pum quàm populorum, id ab eis exigit, aut
 etiam ad Reipub: & Ecclesię commodum
 procurandum, licet inuita, à suprema pote-
 state vocatur. Nam, quòd, vt Equiso noster
 calumniatur, huius ordinis homines, regni
 administrandi curam sibi vendicent, quòd
 pro suo arbitrio Regem eligant; id omninò
 à vero alienum esse, me etiam tacente, vos
 ipsi videtis. At enim, vt huius ambitionis cõ-
 uincat Iesuitas, percontatur, qua spe, aut re
 adductus & incitatus est Antonius Posses-
 uinus, vir magno iudicio, & vsu rerum præ-
 ditus, de que nostra Reipub: egregiè meritus,
 vt munus illud pacis constituendę inter Ste-
 phanum Regem, & Magnū Moscouiæ Du-
 cem susciperet? quamobrem illam pacifi-
 cationem à nemine sibi commissam vsurpa-
 ret? O simulatorem improbum! Estné quis-
 piam

piam hominum, non dico in Regno nostro, sed in tota Europa; qui nesciat Posseuinum à Ponti: Max: Gregorio XIII. rogatu Magni Moscouiæ Ducis, ad illam memorabilem pacificationem faciendam, ablegatum fuisse? Quæ, quam feliciter, quam præter omnium opinionem, Dei benignitate, in difficillimo rerum statu, & incōmodissimo anni tempore, ipso Posseuino, inter vtriusq; partis legatos, velut sequestro & arbitro, nomine sedis Apostolicæ confecta fuerit; Vos ipsi Senatores Amplissimi pleriq;, qui & præsentis fuistis, & belli illius innumeras molestias, quæ vestra fortitudo erat, hyeme media, exantlastis ac superâstis, testes estis locupletissimi: vt proinde vobis nugator iste, quamuis in mendacio exercitatissimus, non possit imponere, neque vobis hanc eripere veritatem. Quare de hac calumnia plura non dicam. Cui similis illa quoque est: *Iesuitam nescio quem, in Sueciam plenis velis prope-
rasse, eoq; omnium opinione celerius per-*
E 2 *uenisse:*

*uenisse: alterum verò, sexaginta milliaria
tribus diebus Viennam cisis peruolasse. Dic
mihi bipedum infelicissime: quis vnquam
Iesuita in interregno, (nam alterius tempo-
ris profectioem calumniari non potes) Po-
lonia pedem extulit? Non pauci quidē So-
cietatis huius patres grauissimi, doctissimi-
que, cum Summi Pontificis mandato, tum
Annæ Reginae Serenissimæ rogatu, ne foro-
ri suæ Catholicæ æterna memoria reco-
lendæ, & charissimis eius liberis deessent,
qui sacra Christi mysteria Catholico ritu
peragerent, in Sueciam missi sunt, ac postre-
mò omnium Bernardus Golinius, vir grauis-
simis artibus atque virtutibus instructus &
ornatus, cuius ego (dum adhuc tenerior es-
set ætas) doctrinæ discipulus diligensq; ob-
seruator fui, felicissimè aliquoties vltro ci-
troque in Sueciam nauigauit: sed profectò
non ea tempestate, qua Rege caruimus.*

Porro, Posseuinus, quem tu mox notare,
& in suspicionem vocare videris, cum ad
Stepha

Stephanum Regem à Sixto Quinto Pontifice Maxi: mitteretur, ob stabilienda potissimum varia seminaria, quorum erigēdorum vtrique tam in Lituania, quàm Prussia, Livonia, ac Transyluania autor fuerat, intellecta morte Stephani Regis, ab eodem Pontifice, ad alia grauia institutoque Societatis congruentia munia, sic reuocatus est in Italiam; non cisijs, nec tribus diebus, vt tu impudenter asseris, sed more suo iustis itineribus eo proficiscens, vt postea in Poloniam non reuerterit. Meritò itaque impudentissime homo, vel de illo, vel de quouis alio, omnem suspicionem deponere debes. Vi-
deo nunc etiam Sereniss. Rex Sigismunde, Societatis Iesu homines, in aula tua degere; quorum alter tibi à confessionibus, alter est à sacris Contionibus: qui tamen vel inuiti planè in aula sunt, & ita (quod nemo non videt) intra suos se fines continent, vt nihil aliud satagant; quàm vt tum tuæ Maiestati, tum aliorum saluti cōsulere possent. Quod

cùm studiosè pro instituto suo faciunt; quis non videat illos, non Rempub: euertere, sed stabilire? non perdere sed cōseruare? Quid-
 quid igitur de Magno Zamoiscio aduersus Iesuitas, commentus es; id te manifesti arguit mendacij, cùm, vt cætera Zamoiscij in hunc ordinem benè & dicta & facta taceam, constet orbi & Regno vniuerso, quod sæpè à Patribus istis prædicari audiui; quid-
 quid Collegiorum, siue in Liuania, siue in Lituania & Prussia, siue in Polonia, aut etiã Transyluania Stephanus Rex, extruxerit, vel erigere voluerit; id totum suafore & consultore Zamoiscio extruxisse. Vides igitur spurcissimè homo, tua putidissima mēdacia corruere: nihil q̄; vnquã tantum virū de ijs rebus ne per somnium quidem cogitare: quod tu tamē impudenter astruis. Sed ne cui gradui aut statui, pro tua maledicendi libidine parcas, alium tibi testem mēdaciorum tuorum authorem assciscis, Doctorem Picum, honestiss. doctissimumque medicum, ac sapius
 Recto-

Rectorem Academiae Cracouienſis: virum ſe-
natorium. An putas, virum hunc optimum
tantopere tuis titulis, quos tu ei plena manu
aſcribis, & laudibus detineri poſſe; vt tuis
figmentis ac mendacijs ſit adſtipulaturus?
erras toto cœlo: audiui ego cōtraria ex iſto
viro, nempe & laudare hoc inſtitutum, &
quibusdā primarijs patribus Societatis hu-
ius familiariffimè vt. vereor ego potius, ne
tu male puer, quia olim propter tua facino-
ra, malè aliquando exceptus es, ab integer-
rimo iſto viro & ſeueriffimo flagitiorū vin-
dice, dum tu diſcipulum peſſimum, ille Re-
ctorem & iudicem ageret iuſtiſſimum, nunc
vt peruerſi diſcipuli ſolent, quemadmodum
abieciſti doctrinam illam ſanam, & Catho-
licam, qua ipſo moderatore in alma Craco:
Academia imbutus fueras; ita nunc ſtudio
vindiçtę, in odium & inuidiam, virum iſtum
hac ratione trahere volueris, quaſi eſſet aut
oſor, aut acer huius religioſiſſimi ordinis
inimicus, fautor verò fugitiui ab Eccleſia &
Acade-

Academia Pœdagogi ad peruersa Photinia-
 norum castra, ad quæ perditissimè in tuæ
 perniciem animæ transfugisti. Age igitur
 bone vir, quando bibisti plus fatis, sobria
 enim mente te id scripsisse ne minus pru-
 dens quidem arbitrabitur; suffla adhuc tibi
 buccas, quasi proserpens bestia: & quæcun-
 que potes mendacia, ac falsa testimonia, in-
 lesuitas pleno ore conferas; nunquam ta-
 men eorum gloriam, ne minimum quidem
 obscurare poteris. Verùmenimverò,
 quoniam Eques noster vmbra-tilis, cum se
 in omnem partem versaret, multosque Prin-
 cipes viros iniquissimè traduceret, tanquam
 suæ maledicentiæ approbatores, nō habuit
 quod vltra diceret, iterum exclamauit, *hoc
 in foro agitari, hoc in plateis iactari, recita-
 ri in omnibus locis, clamari in templis.* O
 fictas Rhetorculi, si tamen isto etiam es no-
 mine dignus, ac pudendas voces! Quis quæ-
 so istis quinquaginta proximis annis, quibus
 hæc Societas Ecclesię diuinitus data, & à Se-
 de Apo-

de Apostolica recepta, ab vniuersaliq̄ue Synodo Tridentina confirmata est: quis inquam summorum Pontificum, Imperatorum; Regum, Principumue Catholicus fuit, qui Societatis istius homines, non amplexus sit, non auidissimè expetierit? quæ gens, quod regnum, quæ ciuitas, Societatis huius, ad Hæresum vim propulsandam, ad religionem collapsam instaurandam, ad pietatem in mentibus hominum errantium à fide, suscitandam, amore & desiderio non exarsit? quæ, vt eam obtineret, omni ope, atq; opera à summis Pontificibus non contendit? obtentam humanissimè nō fouit? ac, vt apud se nunquam non retineret, vehementius laborauit? Neq; hoc mirum cuiquam videri debet, cum vel ipse barbare, atq; ab omni humanitatis sensu alienæ gentes, tanto istum ordinem studio prosequantur, tanta auiditate expetant, alacritate excipiant, amore conseruent; vt Europeanos etiam Catholicos superare videantur.

Testis est huius rei nouus ille, & à nostro
 cælo longissimè positus orbis: testis Ameri-
 ca: testis amplissima Chinarū regio, ad quā
 recens lux Euangelii per istos Patres illata
 est: testis Brassilia, in quam dum nauigant,
 duo & quinquaginta Iesuitæ, à Calvinianis
 Gallis pro Christi fide variis suppliciis prius
 affecti, occiduntur: testis India yniuersa: te-
 stes deniq; Iapponiorum Regū Legati, qui
 paucis abhinc annis, plurimis toto triennio
 laboribus & periculis, terra marique exhau-
 stis, Romam, lucem orbis terrarum, & gen-
 tium omnium arcem, ad Christi Vicarium
 Ecclesiæ Vniuersalis Pastorem, vt ei Regum
 suorum nomine testarentur obedientiam,
 aduenerant. Quos quidem piorum Patrum
 labores & fructus, ex illis gentibus, qui col-
 liguntur, aduersarius aut negare, aut quia
 inficiari nō potest, modis omnibus eleuare,
 obscurareq; contendit. At enim, dum hoc
 iste agit Tenebrio, dum cum ipsissima pu-
 gnat veritate; quid quæso aliud agere, quàm
 luci

Luci clarissimæ tenebras obducere, & solem de cœlo tollere velle videtur? Sed vos, à no-uo orbe, ab Italia, Hispania, Gallia, Superiore inferioriq; Germania, ceterisq; amplissimis Regnis, quæ hoc ipso, quòd tam auide Societatem sanè breuissimo tempore arripuerunt, arreptamq; in visceribus suis libentissimè retinent, euidentissimum eius integritati perhibent testimonium, ad nostram Rempub. oculos animumque conuertite. Caruit aliquando Patria nostra, vt item orbis vniuersus, isto hominum ordine; sed religione Catholica iam inde ab annis sexcentis nunquam caruit: quæ, cum in Regno nostro vehementius ab hæresibus oppugnaretur: cum passim contra leges patriæ, contra decreta Regum, contra omnium ordinum conpirationem, contra ius & fas, pestis ista grassaretur, vrbes, oppida, vicosque popularetur; amantissimi quiq; salutis publicæ viri, vt tanto malo remedium aliquod adferrent, Societatem Iesu à Pontifice Ro-

mano impetrârunt, vt eam furori cūcta vastanti velut firmissimum præsidium obiicerent. Non defuerunt quidē in Polonia omnis conditionis viri, summa pietate & doctrina præstantes, studioque religionis tuendæ inflammati: habebantur doctissimis sanctissimisq. viris referta religiosorum domicilia, qui velut statariæ cohortes, hostem in se incurrentē fortissimè sustinebant, distrahebant, profligabant; sed temporum iniquitate maior fuit hostilium armorum vis, maior grassandi licentia, quàm vt omne periculum à capite, ceruicibus, iugulo, lateribus, omniq. Reipublicæ nostræ membro, phalāges illæ munitissimæ, auerterent. Motus magnus dormiente Christo factus est in mari; ita vt naucula operiretur fluctibus: laborabatur in remigando: rumpebatur bonorum etiam piscatorum rete: annuere necesse fuit sociis, qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos. Bonus piscator fuit Magnus ille Stanislaus Hosius, Ecclesiæ Catho-

Catholicæ lumen & columnen, patriæ nostræ decus & ornamentum maximum: quē cum summis laudibus aduersarius noster effert, vt Catholicum se facilius esse persuadeat, & hac vesana simulatione fidem sibi maiorem apud imperitos conciliet; nihil in hac tota declamatione sua verius dixisse videtur. Hic igitur primus omnium in has oras Societatem Iesu velut coloniam quandam deduxit, eamq; Braunsbergæ in Prussia tanquam præsidium in perpetua Ecclesiæ suæ custodia collocavit. Vtinam licuisset mihi per tempus inuestigare, & percontari, de maximo fructu, quem ibi colligunt Patres isti ex variis muniis suis: tum contionū & sacrarum lectionum, & administratione sacramentorum: tum etiam ex tam multiplici variorum seminariorum Pontificij, Diocesani, Suedici, & ne quid desideraretur, ex conuictu etiam pauperum studiosorum, vnde tā multi & insignes Ecclesiæ Dei operarij prodierunt; efficerem profectò, vt aut pu-

dore nimio suffunderere, aut liuore contabesceres: sed cum hoc mihi in hac prima defensione ob angustiam temporis minimè licuerit, dum hæc ad alteram differo, remittam te interim: si tamen os tam impudens coram bonis audebis ostendere, quòd, velut damnatum nomen tuum, non ausus es nugaci tuæ actioni præfigere, ad præclarissimos illos Equites, ac Illustres Senatores, quorum non pauci, velut ex equo Troiano, ex institutione istorum Patrum, & ex collegio cõuictorum nobilium Braunsbergenfi prodierunt; quorum virtutem, prudentiam & fidem in Rempub: in religione constantiam, in patriam amorem & charitatem, in rebus omnibus fortitudinem, cum penitus intuebere; aut illicò tua putidissima mendacia in patres istos coniecta perhorresces; aut omni te sensu humanitatis exutum ostendes, & instar talpæ in meridiana luce te cœcutire fatebere. Sed liceat, obsecro, mihi hoc loco ex Iesuitarum calumniatore sciscitari,

scitari, liceat quærere : Num Hofius no-
ster iudicij aliquid in rebus agendis habue-
rit ? num prudentiæ laude excelluerit ? num
patriæ amore arserit ? num salutis ciuium
suorum studiosus fuerit ? Quòd si inficiari
non potest : qua fronte, quæso, iterum atq;
iterum affirmat , & magna voce Præconis
instar proclamat, *ab Iesuitis pestem Reipub:
nostræ metuendam esse ?* ergone, oris duris-
simi homo, pestem tibi videtur, in suam pa-
triam, amantissimus patriæ ciuis inuexisse ?
ergone vir prudentissimus, & summi iudicij
Antistes, deceptus est ? Ergone sapiētissimus
orbis Senator Iesuitas perniciosos esse non
putârat ? Atqui non est sapientis dicere, Non
putâram. Animaduertisné, quod fuerit de
Iesuitis magni Hofij iudicium ? quæ senten-
tia ? quæ persuasio ? Falli ille in negotio isto
certè non potuit. Et verò vidit in vita sua v-
berrimos iudicij huius sui, per totam Polo-
niam diffusos fructus. Vnus Hofius, homo
stultissime, est nobis instar multorum, ne-
scio

fcio quorum, quos tu silentio inuoluis Theologorum & Concionatorum. Cæterum, Hofij postea exemplum optimi quiq; Antistites sunt imitati: Ac inprimis ille singulari item prudentia senator, Ecclesiæ Ploceñ. Episcopus, Andreas Noscouius: qui primus è Prussia Societatem admirabili fructu, quæ ex eius scholis dimanare videbat, permotus, assignato illi Pultouix domicilio, magna sua voluptate eduxit. Quid ego memorem Adamum Konarski Posnaniẽ: Valerianum Vilneẽ: grauiſſimos Antistites: qui quasi cõspiratione facta, eodem planè tempore, easdem copias, ille quidem in maiorem Poloniam, hic autem in Lithuaniam, ad suos greges defendendos accersuerunt? qui quanti viri fuerunt, qua authoritate, eruditione, iudicio, nemo est qui nesciat. Mitto lectissimam illam Zophiam Odrovanziam, Illustrium Masouix Ducum sanguine clarissimam, foeminam non minus religiosam quàm prudentem, quæ etiam Societati collegium

legiū Iaroslauiaē in Russia à fundamentis
erexit. Taceo denique omnium sententia
prudētissimū Regem, Sigismundum Au-
gustum, qui cū alia multa in eandem so-
cietatem contulit beneficia: tum illud vel
maximum, quòd eam regni iure donauit,
libertate atq; immunitate ornauit: Vilnen-
si collegio, optimis refertā libris Bibliothe-
cam testamento reliquit: postremò, prima-
rium Ciuitatis Vilneñ: templum, quod ad
ius Regiū pertinebat, eidem societati libera-
lissimè tradidit. Non possum silētio præteri-
re, fortissimū illum Dauidem, sapientissi-
mū Salomonem nostrū, Stephanum, inquā,
nostrū Battorem, orbis vniuersi iudicio, nu-
meris omnibus absolutū Regem: qui, sum-
mi vir iudicij, quid de Iesuitis senserit, quàm
magni eos semper fecerit, quàm eis famili-
ariter, eorumque opera vsus fuerit; vos ipsi
prudētissimi senatores, Regiarum actionū
conscij, & inspectores, probè nostis: nouit
Sarmatia nostra tota: nouit Vngaria: nō-
runt

runt Regna Christianorum, ne dicam Barbarorum vniuersa. Quo tempore ipse maximum & fortissimum exercitum in Moscouiam ad expugnandam Polotiam ducebat: eodem tempore, ardentissimo ciuium suorum salutis studio inflammatus, lectissimam Christi militum, ex Iesuitis collectam manum, in suam Transyluaniam, ad profliganda Arriana monstra mittebat. Quam felicissimè dimicantem, & amplissima ex hoste spolia reportantem, ita amplificauerat, ita rebus ad vitam sustentandam necessariis instruxerat, ita per omnes illius Prouinciæ oras distribuerat; vt tria omninò Societati Iesu domicilia, apud Transyluanos constitueret: in quibus & Vngara iuuentus ad pietatem, bonosq; mores informaretur: & tota Transyluania, imò Vngaria, & quæ Turcica seruitute præmuntur gentes, ex iis quasi fontibus, doctrinæ salutaris, & Sacramentorum liquores, haurirent. Et quidem, toto decennio tam felicem successum conatus Stephani habuerunt, tam multi errori-

bus abiectis Catholicam veritatem amplectebantur, tam frequens vndequaue Nobilis & plebeia iuuentus, ad scholas Societatis, & conciones populus confluebat; vt spes esset maxima, breui Transylvaniam totam futuram fuisse Catholicam. At enim inuidit, vt semper & vbiq; generis nostri hostis ille sempiternus, eam Transylvaniæ fortunam: doluit vehementer à Iesuitis opimã sibi animorũ prædam eripi: non desit post Stephani obitum, suorum mancipiorum mentes, acrius in Iesuitas incitare: ac Deo propter scelera hominũ permittẽte, ita preualuit; vt fortissimi illi, & Diabolo horrendi atq; inuisi milites, cedere ad tempus impio furori coacti fuerint. Sed, ô altissima Dei iudicia, non impunè cefsit, tam insignis Deo illata iniuria: luit perfidiæ suæ pœnas statim Gubernator ille, qui pro principe adhuc tenerioris ætatis Prouinciam illã administrabat; propterea, quòd iusiurandum, Stephano Regi paucis ante annis Grodnæ præstitum,

tum, de Catholica religione, ac potissimum de propugnatrice eius Societate Iesu tuenda, conseruandaq; violasset, paucis post latum in Iesuitas iniquissimum decretum diebus, suam, miserabili voce, incufans perfidiam, infelicissimam efflauit animam. Atque utinam huius solius viri, non Transyluani, vt audio, sed aduenæ morte, diuina placetur indignatio: utinam, ne tota Transyluania ingrati animi, & execrandarum in Maiestatem diuinam cõtumeliarum, iustissimas aliquando des pœnas. Quod à te, vt Deus auertat, & ab optimo tuo Principe, dignissima Battorii sanguinis sobole, qui hanc regno suo cladē inferri vidēs, à lachrymis sibi multoties temperare non potuit; non dubito, Iesuitas, iniquissimè, vt boni omnes viderūt, & per vim summam per te eiectos, diuinæ bonitati assiduè pro te supplicare. Tēporis angustia non sinunt, vt de Stephani in Iesuitas amore, grauissimoq; iudicio, agam pluribus. Dicent alii procul dubiò, & tãti Principis

cipis in bonos Patres, ac proinde rē vniter-
sam Catholicam animū plenīs voluminibus
predicabunt. Nemo ignorat, Regem illū po-
tentissimum, nusquā sua arma victricia in-
tulisse; quin ibi statim societati Iesu Colle-
gium, velut sempiternum victoriarum sua-
rum tropheum collocārit. Expugnauit Po-
lotiam; Polotiæ Iesuitas ex voto posuit:
Liuoniam Mosco, latē regnanti Principi, eri-
puit; in Liuonia duo Societati Iesu collegia,
Rigæ alterum, Torpati, quæ vrbs Moscis est
finitima, alterum posuit. Delegerat sibi
ad habitandum, non ignobile in Lithuania
oppidum, Grodnam; Grodnæ secum Iesui-
tas habere, eisque domicilium, in quo sua
exercerent munia, collocare constituerat;
coëmptis proprio ære fundis, & magnifico
ad eam rem inchoato, sed ob inopinatum
mortis nuntium minimè perfecto templo.
Nec illud silentio inuoluendum est, ex quo,
vel maximè sapientissimi illius Regis de So-
cietate existimatio elucescit. Erant illi, quos

loco filiorum habebat, charissimi ex fratribus Nepotes duo, Andreas, & Sigismundus Batthorei: quorum alterum sanctæ Romanæ Ecclesiæ iam nunc Cardinalem, & Warmiensem Episcopū videmus: alter in Transyluania rerum potitur. Volebat Stephanus, vt in omni pietatis, virtutumq; genere exercitati, rebus summis aliquando gerendis essent idonei. Cui illos iam inde ab infantia erudiendos tradidit? Societati Iesu. Cui illorum curam cōmisit? Societati. Quem magistrum & moderatorem illorū esse voluit? non alium, quàm eandem Societatem. O singulare & admirandum prudentissimi Regis iudicium. Nimirum, perspiciebas Rex sapientissime, adolecentulos, nisi à pijs hominibus ipsi prius instituerentur, nisi prius ipsi animorum suorum motus à bonis componere regereque didicissent; alios deinde sapienter, recteque minimè gubernaturos. Quis vnquam, ex quo fermè in Regnum hoc venit Stephanus Rex, vidit illum in pace, & bello siue

lo siue à Concionibus, siue à Confessionibus non secum ducere Iesuitas? Num pater Patriæ, Rexq; tam sapiens, tanti istos Patres fecisset, seq; suosq; illis cōcredidisset; si pestē ac perniciem Reipub: vt insanus & effrenis eques appellat Patres istos, esse cognouisset? Dic mihi sodes, ô Eques insane: num tanti Monarchæ, quem orbis suspicit vniuersus, iudicium reprehendis? num adhuc impudenter apud sapientissimos Senatores iactabis, disciplina Monachorum, iuuentutem nobilium, rectè ad res bene gerendas erudiri non posse? Non te pudebit iam inclamare: *Iesuiticam docendi rationem, vt pote nobis ac iuuentuti nostræ inutilem, patriæque perniciosam, retineri non debere?* Non verebere, tu homo omnium scelerum maculis notatissimus, *Collegia societatis Iesu domicilia scelerum omnium atque flagitiorum receptacula appellare?* O durissimum os, & fuste contundendum. Tu scholas Iesuitarum, in quibus nihil nisi sanctum, nisi verecundū,

nisi

nisi honestum resonat, scelerum atque flagitiorū officinas appellabis? Ergone Regij Nepotes? ergo Illustrissimæ huius Senatorum Coronæ? ergo tanta & tam multa iuuentus Polonica ad omnem improbitatem, (cuius tu impudentissimè ais, magna iam apparere atq; extare vestigia) in scholis Societatis exercetur? Verba mihi desunt Senatores, quibus hominis istius effrenatam coarguam audaciam. Coarguite vos per Deum immortalem, comprimite, coërcete. Quid enim impudentius fingi de vobis, dici, cogitariue potest? Vos Reuerendiss. Antistites experimini, quàm pios, religiosos atq; eruditos ex scholis Iesuitarum habetis sacerdotes. Vos Senatores Illustrissimi, Equites nobilissimi, Ciues spectatissimi, quàm pudicos, verecundos atque ad omnem honestatem, ritè institutos filios vestros inde euocatis, re ipsa discitis. Qua igitur mente, istius proiecti ad audendum hominis voces accipietis? quo animo iuuenes nobilissimi, qua
mente

mente fortissimi equites Poloni, qui in scholis Iesuitarum adolescentiam vestram totis hisce triginta ferme annis posuistis, hanc tantam calumniandi libidinem feretis? Num patiemini, os istud maledicum, tot tantaque vomere mendacia? de vestra fama, existimatione, & honestate detrahere? Non molestissime feretis vos, quicumque Societatis Iesu scholas mecum frequentastis, ac eorum doctrinam degustastis, in flagitiis & sceleribus exercitatos, greges aleatorum, adulteros, impuros, atque impudicos, ab isto perditto homine appellari? Eamne nomini vestro notam turpissime iniustam, impune sustinebitis? Nihil vos in aliquo genere eruditionis, ex iisdem scholis extulisse, æquo vobis obijci animo perferetis? Ego vero, pro mea virili, nunc tenere me non potui; quin tanta impudentis huius Equitis ficti visa audacia, calamum stringerem, & ad propulsandam hanc à Patribus & præceptoribus meis iniuriam, subito me darem: malens infantiam hanc

oiii. H meam

meam patefacere, quàm grati animi officio deesse: cùm præsertim perspectum haberem Patrum istorum modestiam ac consuetudinem, qui probra, cõtumelias, iniurias, à profligatissimis hominibus, ac deploratis Christi hostibus, sibi illatas, magno lucro deputant, ac pro nomine Iesu omnia pati parati sunt. Scio alios longè præclarius ac elegantius hanc defensionem, vt par est, suscepturos, (quod iam à nonnullis præstitum esse video:) at mihi voluisse fat est, quod debebam. Sed iam longius quàm volebam, me post se, furiosi Equitis nostri impudentissima, à Stephano nostro abstraxit impudentia: qui, etsi iam ex hominum vita demigravit, eius tamen, de Societatis Iesu hominum integritate, & quos in Ecclesia Dei proferrunt fructus, nunquam non extabit iudicium. Cæterum, ne mortuos inquietemus, ad viuos orationem conuertamus. Estné non dico in toto vniuerso, sed in hac Repub: nostra, in hoc Regni totius grauissimo Consilio

Pro Soc: Ie: Patr. Oratio.

59

filio quispiam mortaliū sanę mentis, qui de Iesuitis malè sentiat? qui eos patrię nostrę, non tantum perniciosos, verum etiam inutilis putet? Nullū omninò esse existimo. Video enim Rex Serenissime, Senatoresq; Amplissimi, omniū vestrum ora, atq; oculos, in me conuersos: video vos omnes, quasi subindignatos tacitè respondere: Ecquis per Deum immortalē, de hominibus istis religiosis, qui præsertim suam fidem, integritatem, eruditionem, & in expoliendis liberis nostris, diligentiam plurimis argumentis toti terrarum orbi probauerunt, diuersum quidpiam iudicet? Quis de viris his, qui pro Dei Ecclesia, & nostra Repub: tot tātosq; subeunt labores, tot contemnunt pericula, tot à peruersis hominibus, pro nomine Iesu, exforbēt maledicta, non optimè sentiat? quis male suspicetur? Hanc certè mentē esse vestram stultissimę istius Equitis sententię cōtrariam, nemo est qui ambigat: nec vestrā solum, qui cum illis, eiusdem fidei Catholicę communionē

connectimini, sed eorum etiam, qui in doctrina fidei ab illis dissident, quorum ea passim est sententia: Iesuitas, si religionem excipias, viros esse absq; controuersia eruditos & bonos: ac proinde liberos suos illis erudiendos tradere non pertimescunt. Tuum verò Illustrissime Primas, Stanislæ Karnkoui (cæteros enim religiosissimos Antistites ornamenta huius ordinis senatorij, compellare, temporis angustia non finit) quod sit de Iesuitis iudicium; næ tu palâm, atque in omnium oculis præteferre non vereris. Tua admirabili liberalitate, ad Collegium Pofnanië: ea ædificiorum facta est accessio; vt illud Equiso noster arcem munitissimã excipiendis, vt quidem ille somniat, patriæ hostibus summis præsidiis ædificatam, propugnaculumq; cum Palatio Regis nulla parte conferendum, appellare non dubitet. Tuo singulari in Rempub. studio, tua munificẽtia istud ipsum Collegium philosophiæ cursum, perpetuo deinceps tempore retinendũ,

bis

bis iam felicissimè (breui quoque Theologiam aggressurum) confecit. Quid de tuo Calissino collegio dicam? quod paucos ante annos, magnis sumptibus erectum, ita ornare atque amplificare in bonum Ecclesiæ & Reipub. non desinis; ut in eo magnificè perficiendo, omnes tuæ curæ & cogitationes consumi videantur. Quæ porro causa fuit, ut tu Illustrissime Radziville, Dux Niesvisij & Olycæ, idemque magno consilio prædite Senator, tantum operæ & studij in deducendis Niesvisium tuum Iesuitis poneres? qua spe ductus ornatissimū illis domicilium, templumque, ædificasti? vectigalibus locupletasti? quem fructum ab istis hominibus expectabas? num, ut ditioni tuæ amplissimæ, ac circumvicinæ vniuersæ Russiæ, Volhiniæque; pestem aliquam afflarent? labem & perniciem afferrent? Aut, quid tandem vos duo Reipub. lumina, Bernarde Maciciovi, Antistes Luceoriensis vigilantissime, Nicolae Zebrzidovi, Palatine Lubl-

H 3 nensis,

nensis, quid, inquam, vos in eam mētem im-
 pulit; vt eisdem homines, quos Eques no-
 ster iniquus pestem perniciemque Rerum-
 pub. esse vociferatur; Lublini magnis im-
 pensis factis, in loco totius oppidi opportu-
 nissimo poneretis? Non considerabatis pro
 vestra prudentia Iesuitas, Equitis iudicio,
 seditiosos, & proditores, ad mœnia ciuita-
 tum suas arces ædificare, vt Philippo Regi
 Hispaniarum Poloniam, opportunitatem
 nacti, per fraudem tradant? O caput insanū,
 ô cerebrum Helleboro purgandum. Cogi-
 tastine dum ista scriberes te hominem esse?
 putastine homines ac potius trūcos tua ista
 somnia aliquando lecturos? sperarēne po-
 tuisti, esse vel vnum hominem in Polonia,
 qui istas tuas deliraciones nō risu & cachin-
 nis exciperet? Tūne existimasti Polonos cau-
 tes esse atque stipites, in quibus nihil insit sa-
 pientiæ, qui ista insani tui capitis somnia ad-
 mirarentur, suspicerent, crederent, stupe-
 rent? Arbitraris tua ista comptula ex-
 menda-

mendacijs conflata declamatione, prudentissimis hominibus te posse imponere, & orator videri? Vidésne, quid optimi & sapientissimi homines de Societate Iesu sentiūt?

Quid Max: Pontifices, Monarchæ, Reges, Principes, Respub: ciuitates integræ, Regnū deniq; nostrum, & hic Amplissimus Senatus, vnà cum Rege suo, de eisdem persuatum habēt? Tu solus lynceos habes oculos, omnes isti talpæ sunt? Tu sapias, isti delirant? Tu pericula Reipub: ab Iesuitis impendētia cernis, isti omnes ne in suspicionem quidem eorum veniunt? Quare, apage cum ista tua loquacitate: ista ex Vertinis & Philippicis congesta tela, in Religiosos, & integerrimæ vitæ homines, vibrare desine. Ego verò Senatores Amplissimi, ne patientia vestra diutius abuti videar, vela orationis meæ contrahā: & vbi nonnulla adhuc calūniatoris istius mendacia detexero, finē dicendi faciā. Enimuerò, demirari istius hominis extremā non possum amentiam, qui, quæcunque à

M. Tullio

M. Tullio in flagitiosissimos sui temporis ciues dicta legit; ea sceleratissimè in bonos societatis Iesu Patres temerè, & sine iudicio effudit. Quorum non pauca, quantæ sint vanitatis, quàm stultè iactata, quàm impiè dicta, quàm sine vlllo fundamento, iam à me demonstratum est. Multò plura supersunt, quæ, quoniam hominem istum totum ex fraude & mendacio compositum esse ostendunt, & nullo negotio à quouis non pessimo plena vanissimæ vanitatis esse deprehenduntur; quis obsecro illis recensendis vel audiendis tempus terat? Quod enim ait, *Iesuitas homines obscuros, peregrinos, plebeios regni bona inuadere*; quis hanc orationis vanitatem non videat? si enim sunt obscuri, si plebei; quomodo regni bona inuadunt? quomodo Nobilitas Polonica, quæ potentissimos hostes, Moscos, & Turcas, rapacissimos Tartaros fortissimè reprimit; nec suas ab illis possessiones, terrasq; occupari finit, obscuris istis, & plebeis non potest resistere?

Deinde, obscuro quomodo sunt Iesuitæ, qui ita cornicum, vt dicitur, configunt oculos? à quibus tantum periculi imminere metuit aduersarius? Quanquam & hoc ipsum vanissime dicitur, cum vel in hoc Regno nostro nobilissimi adolescentes, & clarissimi viri, vobis non ignoti, huic ordini sua dederint nomina. Quid? istinc, qui suas possessiones, & vectigalia propter Christum reliquerunt? qui amore Iesu Christi, & Christianæ perfectionis studio incensi, voluntariæ egestatis se voto astrinxerunt, cum antea ditissimi fuissent, aut esse potuissent; nunc locupletes fieri volunt? nunc aliena rapiunt? nunc ingētem pecuniarum vim, fraudibus, dolis, & Religionis simulatione colligunt? nūc Curios simulant, & bacchanalia viuūt? O delirum caput: simula, si placet ad tempus Iesuiticam personam, Iesuitarum experire delicias: explora commoditates; experito omnia facilius credentur. *Seditionum & proditionis*, seditiosus ipse & proditor, *Iesui-*

tas reos agit. At quo Argumento? quâ coniectura? *Emittunt*, inquit ille, *subinde, non solum illos iuuenes ad omnia facinora exercitatos; verum etiam libellos, quibus calamitosam famam, tanquam flammam & incendium, in nostræ Reipub: ciues, viros bonos, volunt excitare.* Qui, quæso te, isti sunt iuuenes ad omnia facinora exercitati? Si discipulos Iesuitarum intelligis, mentiris turpissimè: isti enim non ad facinora, sed ad omnem virtutem in scholis eorum exercentur. Si eos, qui institutum Societatis amplectuntur, & Christum sequi relictis omnibus in animo constitutum habent; profectò te omnium, non tantum bipedum, sed etiam quadrupedum, nequissimum esse necesse est, qui Christi seruos, pugnam, cum vitijs & concupiscentijs suis, ingressos, ad omnia facinora exercitatos dicere non vereris. Libellos porro seditiosos, quis vnquam Iesuitarum scripsit? si scripsit; extant igitur: si extant; ergo in manibus hominum sunt: eos
 tu

tu ostende, nomina profer. *Posseuinus*,
inquis, *post suam illam legationem, plenum
contumeliarum & maledictorum edidit libel-
lum: hunc, si externarum nationum homi-
nes legerent, quibus nondum mores nostri
sunt cogniti; existimabunt in Polonia nul-
lam esse pietatem, nullam rationem, nullam
mentem, nullum ordinem.* At quis iste
est tam infestus Polonis liber *Posseuini*?
Quid ille vir, egregie de Polonia meritus,
mali vnquam de Polonis scripsit? Possum
ego omnes *Posseuini* libellos haecenus edi-
tos nominare, in quibus tantum abest, vt
vel minimum quid de bona Polonorum fa-
ma detrahat; vt etiam, si quando tulit occa-
sio, honestissime, & summa cum gentis no-
stræ laude, Poloniæ meminerit. Tua, tua i-
sta homo nullius pudoris, declamatio sedi-
tiosa est, ac in gentem nostram, imò in vni-
uersam Catholicam Ecclesiam, iniuriosa &
contumeliosa: ac proinde nullo vnquam
supplicio fatis expianda. Videt hoc, videt

inquam, qui tantum homo est, & non truncus. Tu quoq; tuam consule conscientiam: excute mentis latebras: & si vel vna in te honestatis, aut timoris diuini inest scintilla, facile animaduertes, inexpiabili te scelere obstrictum obligatumque esse. Pergis tamen stultis aut certe male animo affectis persuadere, Iesuitas flammam seditionum excitare, & moliri prodiones, quia scilicet ASIAM, AFRICAM, PERSIAM, AMERICAMQUE, Hispano prodiderunt: quia ab illis in Germania inferiori excitati sunt tanti motus, quibus multæ iam Vrbes, & Prouinciæ florentissimæ, quasi vno impetu prostratæ iacent. Eodem motu impulsæ Anglia est & Scotia: vita Reginae Angliæ, veneno & insidiis appetita: Scotiæ Regina crudelissimo & indignissimo mortis genere sublata est: in Heluetia, in Germania superiore, multa ab illis sunt excitata: quæ omnia nostræ quoq; Reipub: sunt ab illis metuenda. Huc enim spectant, quæ ab iis ædificantur
 arces

arcēs munitissimæ, multa prædia collecta : auri, argenti, pecuniæq; admirabilis multitudo : Tempa Cracouiæ occupata : sacerdotes suis eiekti atque exturbati sedibus : apud Polotiam villæ Parrochorum ereptæ : Ruteniæ partes opimæ & fertiles occupatæ : Nobiles & reliqui homines Reipub: vtilis, patrijs sedibus nudi prorsus eiekti: multarum viduarum, insignium matronarum filij, patrimoniis priuati. Quid ego hîc aptius, quàm illud Dauidis exclamem? *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua : sicut nouacula acuta fecisti dolum : dilexisti omnia verba præcipationis lingua dolosa : dilexisti iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem ; propterea Deus destruet te in finem : euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Tu enim ô iustissimè facinorum & scelerum vindex Deus, qui tot, & tanta mendacia, qui tam atroces contumelias in seruos tuos impudentissimè iactari vides : tu,*

cui notū & perspecti sunt animorum nostrorum recessus: tu, qui cū summa veritas sis, veri falsiq̄ue cognitor es: tu, inquam, scis hominem istum malè sanum falli & fallere, ac perfricta fronte, fractis verecundiæ repagulis, audacissimè mentiri. Sed ne vos quidem senatores amplissimi, ac ne postremus ex plebe quiuis Deum timens homo, non videt hæc omnia esse falsissima: & quemadmodum malitiosè, ita impudenter conficta. quæ, quoniam sua sponte, & vestra omnium approbatione ruunt; quid ego illis refellendis aures vestras ab omni suspitione mendacij abhorrentes detinebo? Illud tantū hoc loco moneo, vt quem antea hostē vestrum nesciebatis: quem Regno vestro, inhiare atque insidiari ne suspicabamini quidem, Philippum, Hispaniarum Regem Catholicum, nunc metuere incipiatis, classemque instructissimam in mari Baltico habeatis; quæ Hispanos, Antuerpia ad occupādum Gedanium improviso aduolantes, excipere possit
 ac pro-

ac profligare. Quanquam minus periculi
fubesse videatur eò, quòd Iesuite nullam ad-
huc ad Hispanum militem excipiendū Ge-
dani arcem excitauerunt. Quare neruum
istum belli contra Tartaros & Turcas cerui-
cibus nostris iamiam imminentes potius
conuertite. *At enim proditionis conuicti in
Anglia Iesuite, ita, ut æquum fuit, supplicio
affecti sunt.* Si Religionis Catholicæ in An-
glia per summā Tyrannidem oppressæ con-
fessio, defensio, atque assertio, proditio est;
Iesuitas huius proditionis reos, & ob eam
causam supplicio affectos esse, libēter agno-
scimus: & fortissimos illos viros, Edmun-
dum Campianum, cæterosq; complures, iu-
rè Martyres Christi appellamus: quibus to-
ties libertas & vita offerebatur, si tantum
Ecclesiæ Romanæ, hoc est Christo, nuntium
remittere voluissent. Hæc illa erant scelera,
hæc facinora, quorum sunt conuicti viri illi
integerrimi, à Pontifice Max: Christi Vica-
rio, in Angliam ad fidem Catholicam tuen-
dam

dam missi. Quare impie noster sine freno
 Eques exclamat: *O præclaros martyres, qui
 tantorum scelerum conuicti fuerunt!* Præcla-
 ros equidem, mortalium infelicissime. Quos
 tu, tuiq; similes, velis nolis esse Martyres; ve-
 nient tamen tempus, quando vos inimici ve-
 ritatis, vel inuiti, Christi Sacerdotes, ab An-
 glicana illa Iesabel, ab illa meretrice, sancto-
 rû sanguine cruētata, excarnificatos, Christi
 martyres agnoscere & venerari cogemini.

*Porro autem, quodnam tu incendium Rigæ
 ab Iesuitis excitatū calumniaris? quos fluctus,
 quas procellas? Ecquando tandē te ista mē-
 tiendi libido deseret? quando tu tandē Chri-
 stiani te nomen gerere cogitabis? Anné Ri-
 gensibus causa perduellionis Iesuitæ fuerūt?
 num etiam ad hoc vsque tempus in eadem
 peruicacia eos Iesuitæ detinent? Pestis, pe-
 stis inquam illa, qua tu quoque miser cor-
 reptus insanis, Hæresis videlicet, causa est,
 tot & tantarum perturbationū, seditionum,
 iniuriarum: Hæresis, vt Regna alia, & Pro-
 uincias,*

uincias, ita Rigam quoq; atq; vtinam non Regnum totū in eas procellas impulit. Hæc enim animorum pestis, vbi semel radices egerit, vbi templa Catholicorum, & possessiones Ecclesiæ, aut temporum iniquitate, aut dolo & fraude, aut vi occupauerit; ne pedis vnus spatium permittit Catholicis. Quare, cum boni isti Euangelici ad officium reuocantur, cum ab eis, quæ iniuriâ Catholicis eripuerunt, vel minima in parte repetuntur; vim sibi, & libertati suæ, inferri queruntur, insaniunt, tumultuantur: & dum ipsi vim faciunt, vim se pati vociferantur. O admirabiles noui istius Euangelij fructus! Hæcine est Euangelica doctrina, aliena rapere, & per vim detinere? pios contumelijs afficere? ac, quod Apostolus ait, secundum desideria ambulare, libertatem in occasionem carnis dare, superbia tumescere, dominationem spernere, maiestatem blasphemare? Quæ ista noui Euangelij modesta crudelitas? quæ, cum libertatem sibi vbiq; deberi

K

iactet;

iactet; libertatem nulli omninò concedit. In primaria verò Lithuanix vrbe, nonnulli interdum ab Hæreticis (quod breuitatis causa taceo) à Catholicis autem, ac multò minus ab Iesuitis, nulli omninò vnquam excitati sunt tumultus. Quod tu omnium mortalium mendacissime, ab Iesuitis molitum vnquam fuisse, tum demum probabis, cum Lithuaniam ad interitum ab eisdem impulsam esse, bonis ciuibus persuadebis: cum te illius putidissimi, q̄ euomisti, pudere incipiet mēdacij. Non dubitasti homo impudentissime, in hac tam recenti hominum memoria, in auribus eorum, qui Plescouiam obsidebant, audacter affirmare: *Stephanum Regem, obsidionem & expugnationem vrbis illius coactum fuisse intermittere; vt tumultibus à Iesuitis Vilnæ excitatis occurreret.* O caput ex mendacijs compositum! ô cerebrum insanum! ô frontem perfrictam! ô linguam manu crudelissimi carnificis excindendam! Vos ego Senatores, vos Equites Poloni appello:

pello: & te imprimis Patriæ conseruator Zamoisçi, qui illo tempore iam felicissimè copias, atq; exercitus Sarmaticos ductabas, acies instruebas, castra metebaris, muros Pleseouianos, machinis bellicis pertinacissimè verberabas, cuniculis oppugnabas, maleolos ad incēdendam vrbem facesq; comparabas. Vos, inquam, ego omnes, & vestras testor conscientias iterum atque iterum: nullum vnquam potuisse in rerum natura dici impudētius mendacium, quàm Regem Stephanum, obsidionē Pleseouianam propter sedandos tumultus, Vilnæ à Iesuitis excitatos, soluere coactum fuisse. Et erit deinceps res vlla tam verisimilis, tam probabilis coniectura, aut suspicio in Iesuitas ab isto homine mendacissimo dicta; cui vos fidem iure habeatis? Verissimè illud dictum est: qui semel verecundiæ repagula perfrerit, illum oportet esse insigniter impudentem. Quod profecto in isto tenebricoso Equite perspicuum est: quem, si toties non

puerum

K 2

puerum,

puduit tot clarissima proferre mendacia ;
 quid mirum, si improbitatē suam illo etiam
 eque horrendo quàm manifesto cumulauit
 mendacio ? *Iesuitas* scilicet *authores extitisse*
illius procellæ, qua Cracouiæ domus illa, Acer-
uus, vulgò dicta, in quam perduelles Eccle-
siæ Catholicæ, ad Lutheri & Caluini delira-
tiones audiendas, conuenire solebant, con-
uulsa est, ac penè euersa : nec solùm authores
extitisse, verùm etiam commodùm illis & iu-
cundum fuisse, deposito habitu Religioso, rusti-
corum vestibus coopertis, in media prædas ef-
ferentium hominum turba, versari. Quis
 hoc vel impius credat ? Quis authorem va-
 nissimæ huius fabulæ, mendacij non arguat ?
Nulla vnquam, ait noster Eques, ante ad-
uentum Iesuitarum talia pericula ciuibus no-
stris acciderunt. Me miserum, qui te vel
 inuitus cogor toties mendacē vocare. Non-
 dum Iesuitæ Cracouiæ pedem fixerant : nō-
 dum eos Cracouia, aut nouerat fortasse, aut
 viderat ; & iam illa eadem domus vulgi im-
 petum

petum & direptionem sanè memorabilem, non multos ante annos experta fuerat : iam cadauera Hæreticorum in profluentem Vistulam deturbabantur : iam multa alia & quidem non rara à Catholicis in Ecclesiæ desertores, infesti animi signa edebantur. Hoc tu inficiari poteris? Poterisne dicere, totum hoc, quicquid est mali, Iesuitis tribuendum esse? Sed enim Iesuitis, vt tibi videtur, propositum est : vt *Euangelicum Rectore, atq; Professoribus, & tota Uniuersitate Academica, signis collatis cõgrediatur: & ipsi habeant suauissimum spectaculum: atque in locum illius partis, quæ fuerit fusa atq; deleta succedant: & amplissima spolia suorum consiliorum præmia auferant.* Hoc demum est, vnde tota ista funesta Tragœdia excitata esse, & tua tam impia declamatio initiũ videtur sumpsisse. Hoc, scilicet, Iesuitis est propositũ, hæc eos cura nunc coquit, & versat sub pectore fixa: nempe, vt in locũ vel hereticorum, vel Vniuersitatis prostrate succedat. O

vocem impiam! Sanguine ergo hominum Iesuitæ oblectantur! cruorem sitiunt! cædes hominum, est illis suauissimum spectaculum! qui suas ad populum è loco superiori cõciones, cum in cæterarum virtutum, tum vel maximè in amoris mutui commendationem impendunt: qui dissensionum flammæ extinguunt: odia inueterata ex animis hominũ eripiunt: omnes, quoties datur occasio, ad condonandas, & deponendas offensas, cohortantur: qui deniq. ne hominum innocentium sanguis funderetur, sua ipsi capita in discrimen multoties obiecerunt, inò vitam & sanguinem profuderunt. In quem verò tuorum Euangelicorum locum Iesuitas velle succedere somnias? num in Cathedras, vt ex eis hæreses doceant? Atqui, si hoc Iesuitæ cogitarent, si hoc haberent propositum; credo vos illis non expectata cæde, libentissimè esse concessuros: sed nõrunt Iesuitæ Beatum esse virum, qui in Cathedra pestilentie non sedit. Nũ in templum aliquod:

at omnes

at omnes, quamtumvis diuersæ, atque inter se dissectæ secte, nullum omninò Cracouiæ templum habent: alienis vtuntur edibus, latent in angulis, quod argumento est doctrinas huiusmodi & nouas esse, & velut infelix loliū tritico superfeminatas. Quid igitur spoliolum expectare possunt, fusis Cracouiæ Euangelicis Iesuitæ? Academiæ forsitan occupandæ tenentur desiderio? Atqui etiam hoc tam falsum est; vt ego ausim affirmare, bonos istos Patres, ne somniare quidem, ac multò minus rem tantam moliri. Quare vanus est nonnullorum metus: vana de Iesuitis suspicio: temerarium & vltioni diuinæ subiectum iudicium eorum; qui hoc nomine Societatem apud multos in inuidiam vocare non verentur. De quibus illud possit dici: Trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Sed non dormient credo Iesuitæ: & hanc tam odiosam suspensionem, re ipsa à se contendent remouere. Tu verò, cum tuis similibus mendax semper habebere: & tanti sceleris,

sceleris, ni respueris pœnam lues iustissimã.

Portum tandem aspicio, vela contraho, proram in stationem cogo: quis enim insani istius hominis, recensendis ineptiis, fraudibus aperiendis, dolis detegendis, calumniis remouendis, diutius immoretur? Quis aures vestras tam grauibus mendaciis referendis amplius defatiget? cùm eius maledicendi libido, impudētia, iactatæ in optimos homines contumeliæ, ita vobis pateant, ita eas mentes, auresque vestræ detestentur, ita eorum, quæ dicta sunt indignitate commouemini, vt iam in tot calumniarum artificē, quamuis absentē, quod promeritus est, supplicium, statuere videamini. Æquissima est profectò in sceleratum hominem vestra ista indignatio & odium: iure homini impudentissimo & nequissimo irascimini & succensetis: tantum enim eius est scelus ac flagitium, quantum post hominū memoriã in Repub. nostra vel sceleratissimus ausus est nemo. Intollerabilis audacia est, vnum nescio quem,
de foro

de foro Rabulam, aut de schola declamato-
rem, Regem sapientissimum, & Senatores
vigilantissimos, ignauia, inertia, nequitiaq;
cōdemnare, vt qui in perniciosos in Repub.
homines, non tantum non animaduertant,
sed eos etiam patiuntur, ferunt, amplectun-
tur. Impudentiam verò minimè ferendam
quis esse neget, hominum grauissimorum,
& in Republica principum authoritate, ad
suam abuti libidinem? ipsis affingere, quæ
nec dixerunt vnquam, nec cogitauerunt?
eorum iudicium, grauitatem, existimatio-
nem, in discrimen adducere? Aut quæ ista
nequitia est: homines Religiosos, à Deo ad
suam Ecclesiam tuendam, conseruandam,
augendamq; excitatos, à Christi in terris Vi-
cario, atq; ab Ecclesia vniuersa approbatos,
innocentia, integritatis, & perfectionis ex-
emplum, tot, tantisque calumniis onerare?
contumeliis lacerare? probris omnibus,
maledictisq; vexare? Quæ ista immanitas,
viros Ecclesiae vtilissimos, pacis & boni cō-
munis

munis studiosissimos, pestem Ecclesiæ, perniciemque Reipub: appellare? seditionum ac perturbationum reos agere? & vt verbo complectar, omnium flagitiorum auctores, magistrosque asserere? O tempora: ô mores! quæ ista est, obsecro, in Reipub: nostra licentia? quæ viuendi libertas? Itane vna hæc in orbe terrarum Respub: nostra sine lege, sine pœna, sine Deo, sine Religione, sine pudore erit? In solanè Polonia improbis in bonos, nefariis & sceleratis hominibus, in ciues optimos, & meritissimos impunè grassari licebit? Nos Sarmatæ, gens religione, pietate, fide, integritate, vniuersis olim nationibus suspicienda, eò tandem impietatis deueniemus, vt vel immanissimis hominibus, sine religione, sine Rege, sine legibus, sine æquitate esse videamur? In Polonia integrum erit, quod ne apud Barbaras quidem & feras gentes fas est? Principes verbis castigare, innocentes insectari, bonos non verbis tantum, sed calamo, libello, typisque

pisque criminari, in odium & inuidiam vocare? O Deum immortalem! vbinam gentium sumus? quam Rempubli. habemus? Prouidete, obsecro, Patres, & Cōseruatores Patriæ, tanto malo, prouidete: in tantam nefarii hominis licentiã animaduertite: audaciam comprimite: immoderatã libertatem legibus coërcete: habetis in complexu vestro Societatis Iesu homines, si genus spectes, plerosq; nobilissimos: si autoritatẽ, grauissimos: si eruditionem doctissimos: si pietatẽ, religiosissimos: si fidem, integerrimos: si mores, castissimos & modestissimos: si vtilitatem, fructuosissimos. Hi spretis cõtemptisq; opibus, illecebris honoribus, nō sua, sed quę Christi sunt, quærunt. Isti omnia in Ecclesiã Dei, in religionẽ Catholicã, in Pontifices, ab aduersariis immissa tela constantissimẽ excipiunt, & excelso sustinent animo, ad extremum confringunt fortissimẽ. Horum propositum est, vt Reipub. Christianæ honori, vtilitati, & emolumento esse possint. Ho-

rum opera, iuuentus vestra, spes Patriæ, ad omnem honestatem excolitur: Gens nostra fit doctior, prudentior, ad res gerendas aptior, & apud exteros illustrior redditur. Quâ obrem tantum diuinitus patriæ nostræ oblatum bonum, magni vos, quæ vestra sapientia est, semper fecistis, & nunc etiam in eo loco habetis, quo bonos omnes habere debent ij, quorum fidei & curæ, salus Reipub: commissa est & concredita. Videtis nimirum, & clarissimè perspicitis, nisi Dominus exercituum (quod olim Propheta prædixerat) istud nobis semen reliquisset, sicut Sodomam fuisset, & quasi Gomorra similes essemus. Ex quo profectò manifestum fit, qui Iesuitas persequatur, aut non rectè in eos animo affectus sit; eum aut Hæreticum, aut peruersis moribus Catholicū esse oportere. Quare, Sigismunde Rex, Amplissimiq; Senatores, Societatem Iesu, quod facitis, amare pergite: cōtra improborum calumnias atque furorem defendite: ab iniuria

ria protegite: à calumnijs maleuolorum liberos tutosque præstate. Habeat virtus testimonium vocis vestræ: Palàm sit autoritate vestra, non ciuibus tantum, sed externis quoque hominibus, ad quos improbi huius Equitis Iesuitarum calumniatoris mentien- di libido peruolauit; Iesuitas, in Regno Poloniae, eo loco à bonis omnibus haberi, quo esse debent, qui Ecclesiae & Rebus publi. maximo sunt emolumento. Ita enim vos, Ecclesie propugnatores, bonorum defensores, sceleratorum vindices, Patres deniq; Patriae, & salutis publicae amatores, esse ostendetis.

44

